

Plus prodest, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

CAPUT XI.

NATURA TAM DOCERE CUPIMUS, QUAM DISCERE.

1. Impellimur natura, ut prodesse velimus quam plurimis, imprimisque docendo, rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri. Ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum.

Cupio, dicebat olim Seneca, scribens ad Lucilium, in te transfundere omnia, quae ad sanandos animi morbos efficacia expertus sum, et in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sum.—Nullius boni, sine socio, jucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: et, ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ea ipsa protinus, quae probo et miror, accedas. Plus tamen tibi et viva vox et convictus, quam oratio, proderit: in rem praesentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis, quam auribus, credunt: deinde, quia longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset: vitae ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Plato et Aristoteles — plus ex moribus, quam ex verbis, Socratis traxere.

Ex commodato librorum usu, ac sermone de iis habito, fluxit illa studiorum animorumque conjunctio Polybii et Scipionis Aemiliani, cujus fama non Italiam modo ac Graeciam pervasit, sed remotissimas etiam gentes.